



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. IILITTERAE APOSTOLICAEANTIQUISSIMUS SANEBEATA MARIA VIRGO TITULO
«NUESTRA SEÑORA DE LA EVANGELIZACIÓN»,

INVOCATA PATRONA APUD DEUM ARCHIDIOECESIS LIMANAE CONFIRMATUR Ad perpetuam rei memoriam. –
Antiquissimus sane et impensus ac praeclarissimus est quidem cultus quo Peruviani Christifideles, praesertim incolae
Limani, prosequuntur Deiparam Virginem Mariam titulo «Nuestra Señora de la Evangelización» invocatam, cuius
veneratam imaginem – quinto decimo saeculo ab Imperatore Carolo V dono datam – Nos ipsi per primum Apostolicum
lter in eam Civitatem sollemni ritu coronavimus omnes hortati participes ad augendam fovendamque maiorum pietatem
in eandem Virginem, quae habetur benignissima Mater ac fulgidissimum exemplar fidei, spei et caritatis cunctis Limanis
ceterisque pariter civibus istius Nationis. Qua re, cum Venerabilis Frater Augustus Vargas Alzamora, Archiepiscopus
Metropolita Limanus, communia cleri populiue vota excipiens, electionem Beatae Mariae Virginis memorato sub titulo in
Patronam apud Deum Ecclesiae suae rite probaverit atque, litteris die XXVIII mensis Augusti hoc anno datis, petiverit ut
electio et approbatio huiusmodi iuxta Normas de Patronis constituendis et ad normam Instructionis «de Calendariis
particularibus atque Officiorum et Missarum Propriis recognoscendis», n. 30, ab hac Apostolica Sede confirmetur, Nos,
comprobatis iis, quae Congregatio de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, factis a Nobis facultatibus, hac in re
egit, Apostolica Nostra potestate, harum Litterarum virtute perpetuumque in modum Beatam Mariam Virginem titulo
«Nuestra Señora de la Evangelización» invocatam Patronam apud Deum Limanae archidioecesis libenti animo
confirmamus, cum omnibus iuribus ac liturgicis privilegiis iuxta rubricas consequentibus. Quod, precamur, in spirituale
cedat bonum dilectissimorum cleri et populi Limani necnon cunctorum Peruviae civium, qui olim a Nobis sunt concrediti
materno ac validissimo eiusdem Virginis patrocinio. Quae denique fieri iussimus tum in praesens tum in posterum
tempus firma ac rata esse volumus, contrariis quibusvis rebus minime obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum
Petrum, sub anulo Piscatoris, die VI mensis Octobris, anno MCMXC, Pontificatus Nostri duodecimo.* AUGUSTINUS card.
CASAROLI a publicis Ecclesiae negotiis © Copyright 1990 - Libreria Editrice Vaticana
